



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

VII. Regimen Societatis per ipsius regulam denuntiandi aliorum defectus,
vt à quibusdam impugnetur, & vt à nobis defendenda sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

C A P V T VII.

Virum fraterna denuntiatio recte fiat secundum regulam, & particulare regimen societatis.

P. Claudij pro superioribus, capite nono, numero quinto, quod integrum caput pro hac ratione conscientie, quam tractamus, videri debet, plus acquirat benevolentie, & estimationis per illam fidelitatem erga superiorem, & per signa poenitentiae, & emendationis propositum, quam propter commissam peccata possit amittere, præterita enim peccata per poenitentiam deleta, etiam apud Deum ipsum non infamant hominem: unde nec infamare debet apud spiritualem Patrem, qui Deum maximè imitari debet.

XVII. Prælati non prodant subditum se manifestant.

Subditi non circumspiciunt suum honorem.

XVIII. Ad exaggerationem

XIX. Ad alterum incommodum

Ideoque tenentur Prælati summo studio advertere, ut ratione huius notitiæ nihil faciant, quod iure possit subditum offendere, & inde occasionem sumere sese occultandi, & paulatim fortasse in maiora vitia, vel incommoda cadendi: ut enim refert Celsianus collat. 2. capite duodecimo, Occasionem nobis permittitose verendum, quia cogitationes malas studemus obtere, illa præcipue creat causa, qua notimus quendam in Syria partibus, ut credebatur, præcipuum, seniorum quidam fratrum cogitationes suas simpliciter confessione prodenti, postmodum quadam indignatione commotum easdem graviter exprobrasse, unde fit, ut dum eas in nobis premimus, & senioribus erubescimus publicare, curationum remedia consequi nequeamus. Debent ergo superiores in hoc esse cautiissimi, ne potius ut iudices, quam ut Patres à subditis tractentur. Nam quod Chrysostomus dixit, *non dico tibi ut te prodas*, intelligitur vel in ordine ad iudicium externum, quod ad vindictam tendit, vel in ordine ad illos, qui tali notitia male vsuri sunt, subditi vero non debent esse nimium delicati, ut vel ea omnia, quæ ipsi non placent, iniuste fieri censeant, vel certe, si Prælatus aliquem interdum in hoc errare, aut imprudentem esse contingat, ideo ceteros omnes similes esse iudicent, aut ob eam tantum causam, necessariam regulam, & sanctam consuetudinem immutandam putent, Absit enim (ut recte dixit Augustinus ad Publicolam epist. 15. 4. & habetur in cap. de occidendo 23. quæst. 5. ut ea quæ propter bonum aut licitum facimus, aut habemus, si quid per hoc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur: quid enim est in re hominum bono, ac licito, unde non possit etiam perniciem irrogari.

Alia denique exaggeratio difficultatis ex mutatione superiorum, vel eorum pluralitate, humana quidem est, & sensibilib, ut sic dicam, parvi tamen momenti apud eos qui spiritualiter viuunt, & simpliciter, ac confidenter ambulant: talem enim habent conscientiam statum, & non vacentur illam multis personis manifestare. Quin potius hæc ipsa obligatio potest hominem reddere cautiorem circa statum conscientie suæ, & plurimum etiam consilij, & orationibus magis iuvare poterit. Denique ex ipso vsu, & praxi constat minus difficultatis in hoc negotio esse, quam in speculatione, vel apprehensione appareat, si sermo sit de his personis, quæ recte volunt in religione procedere. Quod enim aliis difficillima res sit, non dubitatur, verumtamen difficultas illa non solum vitanda non est, verum potius merito est intenta, ut saltem illa religiosos in officio contineat.

Ad alterum denique incommodum contra utilitatem huius mediij responsum satis est, ex his quæ diximus. Debet enim Prælatus fidem adhibere subdito suæ conscientie rationem reddenti, dum aliud sibi non confiteritur, per hoc tamen non tollitur quin prudenter omnia obseruet, & dicta illius cum factis eiusdem, quæ superior alias novit, vel vidit, conferat; ita enim vix fieri potest, ut in re magni momenti decipiat.

Ad convenientem religionis gubernationem non solum necessarium est, ut Prælatus possit delicta, seu defectus cognoscere per propriam & spontaneam manifestationem vniuscuiusque de seipso, sed etiam per denuntiationem ab vno factam de lapsu alterius. Sicut enim prior manifestatio, ad priuatam, & voluntariam directionem vniuscuiusque necessaria est; ita posterior denuntiatio ad communem correctionem delictorum, & propter eos maximè, qui delicta sua abscondere & excusare procurant, admittenda omnino est, in omni bene ordinata communitate. Atque ita hæc, quam in primis aggredimur, ac fraterna vocatur (nam iudiciaria quantum loci in Societate, habeat, cap. decimo tertio explicabitur) in iure & in Evangelio multum commendatur, ut statim videbimus. Quod ergo hæc denuntiatio iuste præcipiatur, vel in constitutionibus ordinetur, manifestum est, quia ipsa est actio honesta, & communi bono necessaria, dummodo legitimo prælato, & cum debitis circumstantiis fiat; vna autem ex debitis circumstantiis est debitus ordo, de quo maximè in præsentibus dubitatur.

Nam regula Societatis hæc est: Ad maiorem in spiritu profectum, & præcipue ad maiorem submissionem, & humilitatem propriam contentus esse quisque debet, ut omnes errores & defectus ipsius, & res quæcumque, quæ notata in eo, & observate fuerint superioribus per quemvis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur. Habetur in Compendio Constit. num. 9. Ex quibus verbis colligi videtur omnes defectus, etiam si sint gravia peccata, & omnino occulta, esse à quocunque, qui illa certo sciverit manifestanda superiori, nulla præmissa monitione, nec spectato fine emendationis, sed solum intuitu maioris perfectionis, submissionis, & humilitatis. Hoc declarant singula verba, si expendantur: nam finis non alius proponitur nisi, Ad maiorem spiritus profectum, &c. Materia verbis valde vniuersalibus declaratur: & ideo cum dictum esset omnes errores, & defectus, ne quis putaret solum esse sermonem de communibus imperfectionibus religiosorum, additur, & res quæcumque. Deinde vero subiungitur exceptio notitiæ confessionis, per quam firmatur regula, quod quæcumque alia via etiam occultissima, recognoscatur, superiori denuncianda sit. Additur denique vnumquemque debere esse contentum, ut hæc denuntiatio de se fiat nulla alia conditione postulat. quo significatur non esse necessariam præuiam monitionem. Atque ita in examine cap. 4. §. 8. novitius ingressurus Societatem statim interrogatur, an contentus sit futurus, ut omnes errores, defectus, &c. ut ex tunc præbeat suum consensum, neque habeat postea querelæ occasionem. Atque in hunc modum videtur interpretari hanc regulam vsus, & praxis Societatis, nam prælati ipsi hanc integram illius observantiam requirunt.

Difficultas autem contra hanc regulam & communem praxim est. Primum, quia videtur repugnare Evangelio Matt. 18. vbi Christus Dominus ait, Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripue eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum. ex quib. verbis duo colligunt Doctores communiter. Vnum est, ante denuntiationem, quæ infra significatur illis verbis, Dic Ecclesie, præmittendam esse fraternali correctionem secretam. Aliud est, finem huius negotij esse lucrari fratrem, scilicet, per emendationem eius,

I. Debita facta denuntiatio iusta est.

II. Proponitur & ponderatur regula Societatis de denuntiatione fratrum.

III. Primum argumentum contra regulam contrariam Evangelio.

Secundum
argum. ex
sacro canoni-
co.

eius, ideoque si crimen fuerit occultum, & emendatum, non esse ad denuntiationem procedendū: vtrumque autem repugnat superiori regulæ. Secundò obstat textus in cap. licet Heli. de Simonia ibi, sicut accusationem præcedere debet legitima inscriptio: sic & denuntiationem charitativa correctio. & in cap. cum dilectus de accusat. denunciatio repellenda dicitur, quia secreta monitio non præcelsit. Idem habetur in cap. si peccaverit. 2. q. 1. ex Augustino serm. 16. de verbis Domini: Quia secretum (inquit) fuit quando in te peccavit, secretum quere cum corrigis quod in te peccavit: nam si solus nosti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor, & in Conc. Aquilgran. 1. cap. 134. de subdito delinquenti dicitur, hic primum secundum Domini præceptum, non solum semel, ac secundo, ac tertio, quinimo crebrius admonetur, &c.

IV.
Tertium ar-
gumentum
ex Patribus.

Tertiò ne quis fortè dicat hunc ordinem pertinere ad seculares, non ad religiosos, qui sunt velut mortui: dicitur, quia antiqui Patres, & fundatores religionum eundem ordinem servare præcipiunt. Basil. in epist. ad Canonicam, circa finem, Oportet (inquit) eum qui post vnam & alteram monitionem obstitit nihilominus in vitio perseverat ad Antistitem deferri. Et in regulis moralibus reg. 52. cap. 2. & 4. pro regula ponit ipsa Christi verba Matth. 18. & in regulis fufius disputatis reg. 46. Quidquid est (inquit) in quo peccatur, id referri ad Antistitem debet, siue ab eo ipso qui peccatum admisit, siue ab iis, qui illius confesii sunt. si illud ipsi curare non possint, & mederi eo modo quo præceptum est a Domino. Vnde in regulis brevioribus interrogatio tertiæ, quæ erat, quomodo conuertemus peccantem, respondet, quemadmodum iussu sumus a Domino, &c. Et interrogatio 25. quæ erat, quid sit detraçtio? respondet reuelare peccatum alterius in duobus tantum casibus licere, scilicet vel consilij causa, vel ad vitandum damnum aliorum, extra hos verò semper esse detractionem. Regulæ etiam 47. 178. 182. 231. sunt de hac re, & in eis eodem ferè sensu explicat Christi D. verba; & in constitutionibus monast. cap. 30. Si quis, inquit, disciplinam labefactare in animo habeat, & alios de fratribus secum comites trahat, hic primò quidem ab eo qui sanus sit secretò admoneri tāquam parum sanus debet, sin arcano curari noluerit, adhibendi sunt de fratribus, &c. Vbi prosequitur ordinem correctionis. Eodem modo loquitur Augustinus in sua regulâ, dicens: Si oculi petulantiam in aliquo vestrum aduerteritis, statim admonete, ne cepto progrediatur, sed de proximo corrigatur: Si autem & post admonitionem, &c. prosequitur ordinem correctionis. Quem tamen paulo inferius immutat, dicens, sed antequam aliis demonstretur, per quos convincendus est si negaverit, prius Præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit, corrigi, ne forte possit secretus correptus non innotescere ceteris. Vbi semper postulat ut monitio præcedat, antequam delictum manifestetur Prælati, & ut secretum servetur quoad fieri possit. Accedit tandem auctoritas B. Thomæ, qui, quod lib. 1. art. 16. expresse dicit, correctionis ordinem a Christo præceptum, etiam in religionibus esse servandum, ita ut si Prælati præcipiat sibi denuntiari delictum occulte ante admonitionem, quando est spes fructus, non sit ei obediendum.

V.
4. argum. ex
ratione.

Quartò argumentari possumus ratione, quia lex ipsa charitatis, etiam secluso Christi D. præcepto, postulat ut sine causa necessaria, nec secretum frangatur, nec peccatum occultum proximi alteri reueletur, imò etiam ratio iustitiæ vel fidelitatis hoc postulat: sed quando peccatum fratris est emendatum, vel moraliter emendandum per secretam admonitionem nulla est necessitas manifestandi illud superiori: ergo non potest iuste fieri, sicut non potest iuste manifestari alteri fratri, aut amico. Quid enim refert ad iniuriam minuendam, quòd

persona, cui reuelatur peccatum, Prælati sit qui potius illa circumstantia videtur augere iniuriam, quia infamia maior est, magisque involuntaria, quia pluris æstimat subditus bonam opinionem apud vnum Prælatum, quam apud multos alios. Et confirmatur quia recta ratio postulat ut curatio agroti fiat cum minimo nocumento, & diminutione aliorum bonorum: ergo etiam postulat spiritualis curatio animæ ut fiat cum minimo nocumento fame: ergo si facta iam est iniuria est denovo infamare, vel si fieri potest, per solam secretam admonitionem, non licet medicinam adhibere cum detrimento fame.

Propter hæc, & similia argumenta, nonnulli iuriscitum putant statutum religionis obligans religiosos ad manifestandum Prælati delicta occulta, ante præmissam monitionem. Alij verò, ut Bannes 22. quaest. 33. artic. 4. existimant esse nimium rigorosum, & non expedire communitati: quia potest nimium perturbare fratres inter se, quia licet perfecti possint patienter tolerare, ut delicta sua Prælati manifestentur: imperfecti nihilominus, vel quicunque non adeò perfecti sunt, vix poterunt sine perturbatione id ferre: cumque communitas maiori ex parte ex huiusmodi hominibus constet, non videtur tale statutum esse posse pro tota communitate accommodatum: ut ergo rem totā ordinatè explicemus, videbimus prius generatim, & abstrahendò a Societate, an tale statutum licitum sit, deinde an sit expediens: ac tādē totam doctrinam ad regulam & praxim Societatis in c. 9. accommodabimus quia verò fundamentum totius doctrinæ partim ex Evangelio, partim ex discursu rationis sumendum est, inde initiū fumemus: nam licet hoc tractari soleat in 2. 2. q. 33. ubi olim publicè docendo sententiam nostram aperuimus, tamen quia illa non versatur in manibus omnium, non possumus hic prætermittere fundamenta huius materiæ.

Explicatur locus Matth. 18. si peccaverint te, &c.

Primò ergo dixerunt aliqui Christum Dominum Matth. 18. non fuisse locutum in vniuersum de correctione fraternæ in quocunque delicto fratris, nec posuisse speciale præceptum de illa, vel de ordine eius, sed specialiter locutum fuisse de iniuria facta vnicuique a suo proximo, & de modo patienter illam ferendi, & curandi magis animo lucrandi proximū, quam vindicandi seipsum. Fundantur maxime in illo verbo. si peccaverint in te: nam illud non significat, coram te, ut multi exposuisse videntur, sed contra te, ut proprietatem verbi, scripturæ vltis, Evangelij contextus, & multi Patres docere videntur. Nā iuxta Latinam proprietatem particula, in, talē habet significationem, in simili contextu, iuxta illud Virgilij Aeneid. 1.

Quid meus Aeneas in te committere tantum,

Quid Troes potuere?

Nunquam autem significare solet, in te, id est coram te, aut te sciente: non est autem cur literam ad improprium sensum torquamus. Sic etiam Genes. 34. & Exod. 10. dicitur peccare in Dominum. & 1. Reg. 1. si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? & Luc. 27. si peccaverit (inquit) in te frater tuus, increpa illum, & si penitentiam egerit, dimitte illi. & si septies in die peccaverit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitent me, dimitte illi. quæ verba, vel sunt eadem, vel similia his, quæ Matth. refert, & tamen in illis idem est: peccare in te, ac iniuriam tibi facere, ut probant verba subiuncta, dimitte illi: non enim potest homo dimittere omnia peccata, quæ coram se sunt, sed quæ sunt in suam

iniuriam. Vnde hunc etiam sensum confirmant verba, quæ Matth. 18. Petrus subiunxit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, id est, quoties me offenderit, intellexerat ergo verbum Christi in illo sensu: nam propterea subiunxit illam interrogationem eiusque intelligentiam confirmavit Christus subiecta parabola de Rege, cui seruus debebat decem milia talenta, quæ dimisit ei: ipse autem postea urgebat conseruum sibi debitorem, nolens ei remittere: ergo est sermo de peccato in aliquem ex quo debitum ratione iniuriæ nascitur.

VIII.

Præterea ita intellexit hunc locum Innocentius III. in cap. noui. de iudiciis, ibi: Et Rex Anglie sit paratus sufficienter ostendere, quod Rex Francorum peccat in ipsum, id est, offendit ipsum, quamuis glossa ibi dicat Christum Dominum in alio sensu fuisse loquutum; quod tamen non probat. Faut etiam idem Innocentius III. in cap. cum ex inuincto. de hæretic. & Chrysostomus qui homil. 70. ad populum ita alludit ad hunc locum, si contra me peccaueris, postquam me non audieris, ita præceptum auersari, &c. & eodem modo exponit Basiliius in regula 232. ex breuioribus, ubi confert verba illa Christi Matth. 11. dimittite si quid habetis aduersus aliquem, cum illis, si peccauerit in te frater tuus; sentiens in utroque esse sermonem de inferente iniuriam, quæ tamen ita dicitur esse dimittendam, ut tamen admonitione leni, & castigatione aduersus ipsum iniuriam auctorem uti oporteat. Idem sentit in regulis suis disputatis respo. 9. Vbi cum dixisset non esse religiosi litigandum cum his, à quibus iniuriam patiuntur, subdit: Admonendi sunt tamen qui tales sunt, & ut parcamus præcepto Domini, qui dixit, si peccauerit in te frater tuus. Eandem expositionem indicant Hilarius & Hieronymus in Matth. & Ambrosius in Lucam, imò & Innocentius III. in cap. cum ex inuincto. de hæretic. idem significans, & dicens: cum aliud sit frater in te peccantem occulte corrigere secundum regulam Evangelicam, illud enim in te, idem significat ac contra te. Denique etiam D. Augustinus sermon. 16. de verbis Domini, de iniuria propria illa verba intellexit, dicens: Ille iniuriam facit, & iniuriam faciendo graui seipsum vulnerare percussit, tu vulneri fratris contemnens, peior es tacendo, quam ille committendo; & inde colligit non esse leue peccatum, peccare in hominem: intelligit ergo peccare in te, idem esse, quod peccare contra te. Denique D. Thom. super Matth. ita cum glossa exponit, si iniuriam vel contumeliam intulerit tibi. Et Caietan. ibi ait: si peccauerit in te, positum esse ad differentiam peccati in alterum. Probat etiam Abulensis ibi quæst. 84. Theophylactus, & Euthymius.

IX.

Ex data interpretatione non colligitur uterius Christum Dominum hic non egisse de modo fraternè corripiendi omnia peccata, sed de perfecto modo tolerandi iniurias, ut non solum eas non vendicemus, verum etiam iniuriantem lucrari procuremus. Probat, quia ibi Christus non agit de omni peccato, sed solum de iniuria propria: ergo inde non potest colligi generale præceptum; quia potius neque in propria iniuria curanda videtur ille ordo à Christo Domino præceptus, tū quia nullum est ibi verbum, quod rigorem præcepti præferat, sed tantum cuiusdam vtilis doctrinæ, vel consilij etiam, quia Christus Dominus nullum dedit præceptum positium, nisi sacramentorum, ut alias constat ex materia de legibus: ille autem ordo non est ex natura rei necessarius, nulla enim euident ratione naturali probari potest, præsertim quoad testium inductionem, quæ summam habet difficultatem, & vix potest ad praxim reduci, ut ex vsu constat: ergo verisimile non est ibi esse latum speciale præceptum à Christo de huiusmodi ordine.

Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

Et confirmatur, quia Christi D. verba indifferentia sunt ad iniuriam illatam, tū occultè, quàm publicè: nam absolute dixit, si peccauerit in te: ergo indifferenter etiam constituit illum ordinem pro quacumque iniuria, siue occultè, siue publicè fiat, cum tamen certum sit non esse necessarium præmittere correctionem secretam, ubi peccatum est publicum. In iniuria autem propria videtur id vtiliter consuli, ad ostendendam animi lenitatem, & beneuolentiam erga eum qui iniuriam intulit: non enim est corripiendus propter commodum corripietis, sed propter ipsum, ut significauit Christus, dicens, lucratus es fratrem tuum. & exposuit Augustinus serm. 16. de verbis Domini. Vnde idem August. lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 19. Raro (inquit) & in magna necessitate oburgationes adhibenda sunt, ita tamen ut etiam in his ipsis, non nobis, sed Domino vt seruiatur, instemus. Et dum hoc fit inter te & ipsum solum, apertior est modus ad conciliandam amicitiam. Imò etiam si petenda sit satisfactio, vel solutio debiti à creditore, qui dum est in mora soluendi, dici potest peccare in creditorem; optimus ordo est, prius ab eo priuatim petere ut soluat, & deinde, si necesse fuerit, coram vno vel altero amico instare apud illum, prius quàm ad petendum coram iudice procedatur, quamuis hic ordo non sit simpliciter necessarius, & in præcepto, quando aliqui debitum & tale est, ut ante omnem petitionem solui debeat, & aliqui probari potest in iudicio. Ergo quamuis Christus D. in ordine ad emendationem fratris illum ordinem posuerit meliorem, non sequitur illū constituisse sub præcepto. Vnde Bonauent. Luc. 17. in illa verba si peccauerit in te, &c. Hic autem ordo (inquit) congruarius est, non necessarius, & maxime si percipiatur, quod proximus incorrigibilis est ad verbum fratrum, & corrigibilis manu forti. & hanc sententiam latè confirmare conatus est Bernardinus de Arevalo in speciali opere de correctione fraterna.

Sed quamuis in his duobus punctis, scilicet an correctio sit de quouis peccato, non verò solum de iniurioso corripiendi, & an de correctione ipsa, detur præceptum in verbis Christi, magna videatur esse dissensio, quoad explicationem textus Evangelici; fortasse in re ipsa, & quod attinet ad doctrinam moralem, nulla ferè est, nec esse potest; nam in primis circa prius punctum suppono non esse dubium quin detur naturale præceptum correctionis fraternæ, quod omnes Theologi agnoscunt cum D. Thom. 2.2. quæst. 33. Richardo, Durando, & aliis in 4. d. 19. Soto in Relect. de tegendo secreto, membr. 2. quatuor primis quæstionibus. Altiſſod. lib. 3. summ. Tractat. 21. cap. 1. Summiſta omnes verb. Correctio fraterna. Canonista in cap. noui. de iudiciis. cap. si peccauerit. 2. q. 1. & habetur expresse ex Anacleto Papa in cap. tam Sacerdotes. 24. quæst. 3. ubi glossa destruit textum per fideles Prælatos interpretanda. Facit etiam illud Ambrosij lib. 1. de officiis, cap. 36. Qui non repellit à socio iniuriam si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit, cap. non inferenda. 23. quæst. 3. Item illud Augustini tract. 7. in Ioan. Non putes te amare vicinum tuum, quando eum non corrigis: non est ista charitas, sed languor, cap. non putes 23. quæst. 5. Item illud Gregorij in ca. 5. d. 83. Conſentire videtur etiam, qui ad reseranda, quæ corrigi debent, non occurrunt. habetur lib. 7. epist. 117. Vbi melius dicitur: Qui corripienda, ut reserari debeant, non occurrunt. Et in eodem lib. epistola 114. Faciens culpam proculdubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare: sed potissimum fundatur hoc præceptum in ratione charitatis, & misericordiar, quæ obligat ad subleuandam proximi miseriam, peccatum autem est maxima miseria; & correctio ferè est vnicum medium, quo potest vnus subuenire alteri proximo in tali miseria, & necessitate

X.
Statuuntur
duo puncta.

N n n

conſi-

constituto; ergo quandiu quisq; commodè potest, & alius indiget, charitas ex se inducit talem obligationem.

XI.

*Traditur in
1. punctum
maioris
dicti præce-
pti non solum
satis ad so-
lutionem in-
iuriarum cor-
ripientia.
Id suadet
authoritas.*

Ex quo inferitur præceptum hoc non limitari ad peccatum iniuriolum corripienti, ut etiam in tractatu de charitate dict. 8. sect. 2. numero 2. & in tractat. de fide disputatione 20. sect. 4. numero 14. dixi, quia fundamentum propriæ iniuriæ, sed absolute necessitatem proximi, & hoc est etiam certum, & receptum ab omnibus Theologis, ex quo factum est, ut ipsi intellexerint verba Christi, de quocunque graui lapsu proximi, quod secundum rectam rationem correptionem fraternam postulet; verisimile ergo est Christum Dominum voluisse, vniuersalem doctrinam de corrigendis fratribus tradere, quod etiam significant illa verba, *lucratus eris fratrem tuum*: nam hic fructus in omni lapsu graui proximi procurandus est, si sperari potest, vnde & Origenes tractatu 6. in Matth. generaliter verba Christi intelligit de peccatis quibuscunque, siue facta sint in iniuriarum corripientis, siue non, quanuis in leuioribus peccatis, & non in grandioribus, ordinem illum seruandum putet, sed fortasse per leuiora non intelligit illa tantum, quæ nos vocamus venialia, sed illa, quæ facilius emendari possunt in quibus correctio potest per secretam monitionem facilius operari. Anselmus etiam in Matth. prius exponit de iniuria homini facta: deinde addit alteram expositionem, & cum ea pertransit. Exponit verò speciali modo illud in te: id est, publice. Existimo autem appellare publicum, ne durinscula videatur interpretatio, non in rigore iuris, prout publice dicitur fieri, quod coram multis sit, sed quod est publicum seu apertum respectu illius in cuius præsentia sit, licet respectu aliorum, sit occultum, quem sensum significat idem Anselmus, dicens, *corripit priuatim, ne videaris alieni criminis proditor potius, quam corrector*, non esset autem proditor si peccatum esset publicum priori modo. Vocat ergo publicum corripienti, & ita eadem est expositio cum communi Scholasticorum, in te, id est, coram te. Et eandem subdit rationem dicens, *omne enim publicum peccatum contra vnumquemque dicitur fieri, quia publice peccans proximum suum corrumpit*.

XII.

*Suadetur
præterea ex
contextu
intentionis
Christi.*

Nec videtur hæc expositio aliena ab intentione Christi, si ita vno verbo exponamus, in te, id est, præbens tibi scandalum, quantum in ipso est. Nam consequitio totius cap. hunc videtur sensum postulare, siquidem in præcedenti parte cap. vsque ad illum locum, multum commendauerat, ne scandalum aliis tribuamus, & demus occasionem fratri, ut pereat, propter cuius salutem filius hominis in mundum venit, ut ibidem Christus dicit, adducta parabola centum ouium, & concludit, *sic non est volentis ante patrem vestrum, qui in celis est, ut pereat vnus de pusillis istis*. Deinde verò conuertit sermonem ad eum qui scandalum præbet, ut ostendat illius etiam salutis se curam gerere, eandemque vnumquemque nostrum esse habiturum, etiam si nobis ipsis scandalum dent. Sic ergo subdit, *Si autem peccauerit in te frater tuus*. Hic enim sermo non potest habere ad superiora eam consequutionem, quam particula autem significat, nisi in prædicto sensu explicetur. Atque in hunc modum connectit textum Chrysost. homil. 61. dicens: *Quoniam acriter oratione aduersus scandalizantes vsus, multis eos argumentis terruit, ne suprim, atque desides hac ratione hi fiant, quibus scandala inferuntur, & ne putantes totam in alios culpam esse reiectam, & ad molliorem virtutem delabantur, & quasi omni favore digni in arrogantiam incidunt, perspicue quomodo ipsos etiam comprimunt, atque coercent*. Postea verò in discursu expositio-

tionis de corripiente loquitur, tanquam de eo qui passus sit iniuriam; vel quia omnem offensionem, quæ per scandalum datur, iniuriam vocat, vel quia in propria iniuria maxima ratio scandalizari solet, & tunc etiam perfectio charitatis in corripiendo proximo magis cernitur. Sic etiam idem Chrysostomus homilia 1. de verbis illis ait, per illa verba adhortatum esse Christum, ut id facerent homines, quosque iniuicem peccauerint: dicuntur enim peccare iniuicem, non solum, quando mutuas iniurias sibi faciunt, sed etiam quando iniuicem sibi scandalum præbent. Et ad eundem modum exponit ibi Theophylactus, dicens: *Sermonem contra offendiculum dantes, valde extendat, nunc & eos qui offenduntur corrigi, &c.* Sicque tandem possunt ceteri Patres intelligi, nec est alienum à modo loquendi scripturæ: nam 1. ad Corinth. 8. ait Paulus, *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis*. Vbi peccare in fratres, vocauit eis scandalum inferre, cum ergo materia scandalum non sit tantum propria iniuria, sed quodlibet peccatum, præsertim graue, non sine magno fundamento Theologi Christi sermonem ad omne peccatum extenderunt.

Eo vel maxime quod licet demus (quod admodum probabile est) Christum loquutum esse de propria iniuria seu læsione, non id fecit ut alia peccata excludat; sed potius, ut à fortiori comprehendat. Nam si de sibi illata iniuria debet quis alium admonere, multo magis de iniuria Dei, vel de propria spirituali noxamento eius, qui grauius peccat, cur enim magis obligaretur quis ex Christi præcepto circa propriam iniuriam, quam circa alia peccata, cum admonitio in propria iniuria non respiciat commodum proprium, sed alterius? quin potius in propria iniuria posset homo habere aliquam excusationem, tum ne videretur seipsum vindicare, tum quia non tenetur quis inimico offendere peculiaria signa amicitie, sed satis est non offendere odium, nec excludere à generalibus beneuolentiæ signis, & operibus. Ergo vel Christus generaliter loquutus est de hoc opere admonendi fratrem, vel certe si locutus est de fratre inferente iniuriam, supponit esse opus charitatis commune omnibus, atque adeò à fortiori exergendam cum amico, seu fratre, qui non intulit iniuriam, grauius tamen lapsus est, & in eadem necessitate constitutus, & hoc plene supponit Innocentius III. in dicto cap. nonnulli, cum ex Christi verbis subinfert, *licet autem hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, ut peccatorum reuocemus à vitio ad virtutem: præcipit cum contra pacem peccatur, quod est vinculum charitatis sentit ergo doctrinam esse generalem; ergo quod ad rem moralem attinet, parum refert vno vel alio modo illam particulam, in te, interpretari*.

Secundo infero idem ferè dicendum esse de alio puncto in quo dicta opinio à communi Theologorum sententia differre videtur. Nam Theologi etiam fatentur ibi non esse latum à Christo Dominum speciale præceptum postrius diuinum particulare legis gratiæ, ita sentit Diuus Thomas 2. 2. q. 33. articulo 2. & 7. & hi expositores, & Soto dist. relect. membro 4. & optime probatur rationibus factis in multis, præsertim illa, quod in lege gratiæ non sunt præcepta diuina positia, nisi sacramentorum. Ergo etiam si concedamus cum multis Theologis Christum Dominum ibi tulisse præceptum; nihilominus fatendum est, non addidisse nouum, sed explicuisse morale præceptum connaturale ipsi charitati, & dilectioni fraternæ, & cōuerio, quauis verba Christi possint explicari, ut generalis doctrinā continentem abstrahendo à rigore præcepti, vel suauitate consilij tamē negare non possumus, quin materia ipsa includere possit præcepti obligationem, & maxime quod ad

Probatur
dicta capaci-
tas materia
quoad illam
partem, in
ter te & ip-
sum solum.

secretam monitionem, de qua nunc agimus; nam de testium inductione maior posset esse dubitandi ratio. Priorem partem probant rationes in principio factæ, & communis opinio Theologorum, qui sentiunt ordinem hunc, quoad prætermittendam monitionem secretam, esse ex suo genere materiam sufficientem ad obligationem sub mortali; quia non infamare proximum est materia talis obligationis, cui interdum opponitur, non tantum moraliter sed etiam formaliter, id est, sine legitima excusatione inuersionis illius ordinis: ergo est conuerso seruare illi ordinem est etiam materia grauis obligationis, atque ita simpliciter docuimus in tract. de charitate, disput. S. sect. 6. num. 2. Avertunt autem omnes hoc præceptum prout ad correctionem fraternam obligat esse affirmatiuum, ideoque non obligare pro semper, sed cum determinatis circumstantiis, quas infra attingemus, quæ in summa explicantur per illum effectum, nihil ei addidit, ut morale & naturale erant: ac proinde quem sensum postulat ex natura rei, eundem admittit in Evangelio esse contentum; ergo ad doctrinam moralem, de qua agimus, parum refert, vno, vel alio modo verba Christi Domini intelligere.

XV.
Probatur
deinde quo
ad alteram
partem, ad
hibere unum
vel duos te-
stes.

Idem cum proportionem dicendum est, de posteriori membro, in quo (vt dixi) difficilior apparet præceptum ex natura rei: quia illa inductio testium non videtur ita necessaria ad conferuandam famam proximi, & secluso hoc capite non videtur esse aliud ex quo talis obligatio oriatur. Nam quod D. Thomas ait, naturæ ordinem postulare, ut non fiat transitus ab extremo ad extremum, nisi per mediū, & ideo non esse transiendum à monitione secreta ad denuntiationem coram Prælato, nisi media testium inductione, est quidem bona congruentia ad declarandam illius ordinis convenientiam & honestatem; non videtur tamen sufficiens ratio ad ostendendam necessitatem obligationis. Nihilominus probabile est etiam illam esse materiam præcepti; præsertim si procedendum sit ad denuntiationem publicam, & iudiciariam, de qua Christus loquutus fuisse colligitur ex illis verbis, si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus; supponunt enim hæc verba excommunicationem latam ab Ecclesia, ad quam non peruenitur nisi per denuntiationem iudiciariam. Ante illam verò potest esse testium inductio necessaria, tum vt per eos constare possit Ecclesiæ fraternam correctionem præcessisse, quod necessarium esse significatur in dict. c. licet Noli. de Simoniacis, quam rationem indicant verba Christi, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum; illi enim non possent esse testes delicti ex vi illius inductionis, sed solum testes esse possent præmissæ admonitionis; tum etiam vt maior, & debita cautio circa famam proximi adhibeatur.

XVI.
Probabile
testium lo-
qui solum de
peccato oc-
culto.

Vltimò hinc colligo, posse non incommode intelligi Christum D. fuisse loquutum de peccato occulto, vt ab Augustino intelligitur, quem scholastici sequuti sunt, quia licet fortasse litera non cogat, non tamen repugnat, & aliqui est sensus accommodatus aliquibus circumstantiis literæ: cur enim Christus postulasset monitionem secretam in peccato publico, etiam si sit iniuriolum corripienti vix enim potest aliqua utilitas expectari ex tali monitione secretæ factæ, quæ non possit eadem vel maior sperari ex monitione facta, saltem coram eis, qui delictum viderunt. Quod ergo Christus dixit, Corripe illum inter te & ipsum solum, indicat illam particulam exclusiuam, etiam subintelligendam esse, cum dixit, Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

si peccauerit in te frater tuus. Ideo enim dicit in te, quia tibi, & non aliis scandalum dedit. Vnde Augustinus dicit sermon. 16. de verbis Dom. Peccauit (inquit) in te frater tuus si tu solus nosti, tum verè in te solum peccauit, nam si multis audientibus tibi fecit iniuriam, & in illos peccauit, quos testes sue iniquitatis efficit. Potest ergo optimè sermo Christi de peccato occulto intelligi: quia in solo illo tenetur quis priuatam correctionem præmittere. Quam obligationem ex regula Christi colligit Innocentius III. in cap. cum ex munio. de hæreticis; sentit ergo ibi esse sermonem de peccato occulto.

Nec tamè propterea excluditur, quin etiam correctio fraterna locum habeat circa peccatum publicum, vel simpliciter, vel secundum quid, respectu duorum, vel trium, quod probabile dici solet, sed interest multum quoad ordinem in correctione seruandum: quia tunc non est tanta necessitas, vt prima monitio fiat, inter te, & ipsum solum. Tamen quia, do eius loci vt dicitur ex Aristotele, maximum in vnoquoque genere est mensura cæterorum: iuxta proportionem ad omnino occultum, seruandus est ordo in aliis. Nam si peccatum proximi sit vni, vel alteri notum, quoad hoc potest ordo ille habere locum, vt coram aliis non corripiatur, saltem à principio: quia quoad hoc habet locum ratio non infamandi proximum. Interdum etiam erit valde expediens solum prius admonere, saltem propter pudorem eius, & vt melius accipiat admonitionem, & talis potest esse conditio personæ, vt possit ad hoc charitas obligare, habito respectu ad fructum per correctionem intentum, qui fortasse vno modo obtinebitur, & non alio, quando autem peccatum est simpliciter publicum, publice corripiendum est, iuxta sententiam Pauli ad Tim. 5. Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. In quo etiam seruari debet, vt ibi fiat talis correctio, vbi publicum est delictum, non alibi, iuxta rationem charitatis, quæ omnia vel virtute, vel formaliter continentur in verbis Christi vno vel alio modo expositis. Prædictis verò expositionibus suppositis, ad explicandam & defendendam nostram regulam accedamus.

Ostenditur regulam Societatis de correctione fraterna, neque doctrina Evangelica, neque naturali iuri famæ aduersari.

Tota difficultas est, qua ratione regula Societatis, omnium defectuum, vel criminum, quantumvis grauium, & occultorum, denuntiationem per quemuis, qui extra confessionem ea acceperit, contempta monitione secreta fieri permittat; & nihilominus verbis Evangelij, Corripe eum inter te & ipsum solum, Matth. 18. ac naturali præcepto de monitione præmittenda, non aduersetur. Facile tamen omnia componuntur, si aduertamus non esse omnino eadem materiam huius regulæ, atque iuris naturalis, & Evangelij: nam regula procedit supposita renuntiatione, quam expresse faciunt omnes, qui Societatem ingrediuntur, renuntiando omni iuri famæ, quod dictæ denuntiationi paternæ obitare posset, vt mox ostendemus: volenti autem & consentienti nulla sit iniuria. Præceptum verò naturale in hoc casu (& idem est de doctrina Christi Matth. 18.) procedit absolute, nulla supposita renuntiatione, totumque fundatur in iure famæ, quod quis habet, ne se inuito apud alios infametur: ac proinde quandiu quis hoc iure non cedit, tamdiu materia præcepti, eiusque obligatio subsistit: eo verò iure per renuntiationem sublato, consequenter etiam & materia & præceptum eius tollitur. Huic autem iuri quilibet renunciare potest efficaciter, seu quoad validi-

XVII.

Locus de peccato omnia occulto loquatur Christus ex-
tra eius locum
habet cum
proportionem.

XVIII.

tatem; ut ita dicam: tum quia unusquisque renunciare potest favori proprio, cap. si de terra, in fine, de priuilegiis. tum etiam, quia homo est dominus suæ famæ: ergo si renuntiet, & det alteri facultatem denunciandi superiori suum delictum, se non admonito, cessabit obligatio huius præcepti iustitiæ. Hinc enim iuxta receptam doctrinam, peccatū iniustitiæ non est bona suæ famæ, aut fortunarū prodigere, neque in aliis consequenter obligatio restituendi confurgit, si ex prodiga illius licentia præci-se, tale aliquod eius bonum auferant. Atqui in Societate iuri famæ apud superiorem, ut patrem, renunciatur illis verbis regulæ ex 4. cap. examinis §. 8. interrogatur (is scilicet, qui Societate ingredi vult) an contentus sit futurus, ut omnes errores & defectus ipsius, & res quascumque notat in eo, & obseruata fuerint superioribus per quemvis, qui extra confessionem eas accepit manifestentur. Quæ tandem regula, seu renunciatio, non vllus ambigendi locus esset, declarata fuit in 6. Congregatione generali à decreto 32. vsque ad 34. & Congregat. 6. can. 10. §. 1. his verbis, *sicut est omnibus nostris manifestare superiori, ut patri, quodcumque delictum alterius, siue leue siue graue, & his est sensus regula cum ex illis verbis capitis 4. examinis constet, nostros cedere cuiusque iuri famæ, quod huic manifestationi obliare posset, & facultatem facere omnibus deferendi ad superiores, quacumque ab illis notata fuerint*. Est igitur tam expressa hodie in Societate talis renunciatio, omnibusque in illam ingredi volentibus ad eam patenter exponitur, ut nullam profecto iniustitiam contineat dicta apud superiorem, ut patrem, immediata manifestatio.

XIX.
Instantia
circa prædictam
notam dicitur.

Verum opponet aliquis, cum ad absolutam huius regulæ honestatem non sit satis, si contra iustitiam non militet, sed etiam oporteat, ne vlla alia inhonestate labore (bonum enim absolute non nisi ex integra causa confurgit) contingere poterit, ut licet ex renuntiato iure optime concludatur, actionem illam manifestandi non esse iniustam, non tamen id sufficiat, ut sit vndeque licita; quia sola charitas, seclusa ratione iustitiæ, potest obligare ad non infamandum proximum, sicut in exemplis præcedenti numero adductis, nemo tenetur ex iustitia non se infamare, & tamen ex charitate propria tenetur non prodigere famam; sic ergo quantumcumque frater renunciauerit iuri suo, teneor ego ex charitate non infamare illum, quando possum eadem sufficienter prodesse sine tali infamia. Nec contendo nunc an in eo casu sit culpa mortalis, an venialis tantum, quia iam non est iniuria, satis enim nobis est, quod sit aliqua culpa, quam non potest renunciatio proprii iuris impedire, ut si quis velit proprias fortunas in flumen pro sua tantum prodiga libertate proicere, charitas obligat, ut illum impediam, si commode possum. Et quamuis ipse permittat ut ego proiciam, contra charitatem agam id faciendo, etiam si non sim iniustus. Et confirmatur: nam in hoc sensu tradunt Doctores, non posse aliquem renunciare naturali, & diuino iuri. Abbas in c. diligenti, de foro competenti numero 7. ex Bartolo in l. in publicum. ff. de pactis, & in l. si quis inconfirmando. C. de pactis. Constat autem hoc ius esse diuinum, aut naturale, non solum quatenus ad iustitiam spectat ratione dominij, quod quisque habet in suam famam, sed etiam præcise ratione charitatis, ergo in illud, ut sic, non cadit renuntiatio, ac proinde saltem ex hac parte honesta esse non poterit illa apud superiorem immediata manifestatio.

XX.
Expeditur

Ad hanc tamen obiectionem præter illa, quæ c. 9. num. 17. obseruabimus, respondendum, cum renunciatio iuris prædicta, in Societate fuit ob maiorem in spiritu profectum, ut regula ipsa præmittit, cumque maior sit ordinariè hic profectus, cum à superiori sit emendatio, quam cum à priuato (ut

inferius latè ostendemus, ubi etiam de particula ordinariè redibit sermo) non posse ordinariè contra charitatem militare immediatam manifestationem defectus alterius apud superiorem. Imo pro charitate facere, cum maius bonum per talem manifestationem intendatur, & sequatur, ut supponimus. Neque enim in Euangelio (quod nulli vnquam maioris profectus viam præcluse) aut declaratur, aut confertur ius erranti, ut prius à fratre moneatur, quam à patre, si velit perfectiori modo corrigi. Atque hoc modo verificari posset quod alij senserunt, regulam scilicet, quam tractamus, ipsam esse regulam charitatis, seu in charitate fundari, quatenus videlicet per dictam manifestationem bonum (quod charitatis obiectum est) non qualecunque, sed perfectum, ac efficaciori medio, ut infra dicemus, fratri procuratur. Hoc igitur modo non iustitia tantum, sed & sanctitas regulæ Societatis defenditur, atque etiam commendatur.

Recolenda verò hoc in loco veniunt, quæ circa illam ac circa allatum decretum patens correctio- nis in eadem Congregat. 6. & ordinationibus etiam alijs toti Societati communibus in cap. 15. sunt stabilita. Primò enim regula solummodo scitum esse declarat aliorum defectus manifestare, idque etiam non interrogare superiorem, ut in citato can. 10. 6. Congregationis num. 3. subditur, non tamen obligat per se loquendo, nec certè esse expediens omnibus imponere hoc onus, imò nec passim illud permittere, quia Prælati esset molestissimum, & fratribus odiosum, possetque multum minuire charitatem & fraternam vniorem. Ad superiores ergo spectat hanc curam aliquibus committere, & tunc illi tenebuntur iuxta gradum obligationis sibi impositum, quæ in hoc suauior est, & minor quam in alijs religionibus nam (ut credo) in alijs zelatores, seu acclamatores (quos vocant) sub iuramento astringuntur acclamare quæ videntur; in Societate verò nulla obligatio ponitur iure ordinario, sed simplex tantum ordinatio; quamquam interdum materia ipsa poterit maiorem obligationem ex charitate inducere (imò & superiorem cogere ad stricte præcipiendum alicui ut vigilet) ut etiam in. 4. eiusdem canonis 10. 6. Congreg. stabilitum est in hanc formam: *In delictis, quæ videntur in derelictionem boni communis, aut damnum imminens tertie personæ (qualia sunt infamia aliorum, & nocua bono religionis, &c.) non solum possunt, sed etiam tenentur quicunque ea manifestare superiori, ut patri, ut prouideat secreto & prudenter, tam bono subdito, quam religioni*.

Secundo in 7. Congreg. can. 20. & vberius in decreto 12. seuerè puniri iubentur, qui temere, & ex malis suspitionibus, vel ex alia quapiam nimis probata causa, falsum alteri crimen imponunt: etiam si (ut necessarium intelligendum videtur) apud superiorem tantum id faciant, cum reuera incuriosum sit. Et adducitur ibi dicitur, ut caueant superiores, ne faciles delatoribus aut prodeant, disquirantque singula, donec in delata rei cognitionem veniant, ut aut innocentem liberent, aut noxium saltemque delatorem pro rei magnitudine puniant. Imò & si veritas defectus commissi fuerit vult Societas ut debito cum amore, & charitate manifestetur.

Tertio delator non solum ea notitia, quæ ex confessione sacramentali immediatè, vel mediatè processit, ut non potest, ut ipsa regula monet, ac per se dictum notum erat, sed neque illa etiam, quæ sibi secreto, & sine delatoris filij petendi gratia ut alter dirigatur, vel inuocetur, communicata fuit, quæ verba sunt eiusdem canonis 10. illius 6. Congr. §. 2. De quibus dubitari potest, an dictiones illæ secreto, & consilij gratia, distinctionem, an copulatum sensum efficiant; nam coniunctio &, non semper efficit copulatum. Etenim, si hoc in loco copulatum reuera faciant, poterit is, cui consilij quidem petentia causa defectus aliquis communicatus est, non tamen

tamen secretò, aut, è contra communicatus secretò est, non tamen consilij, sed amicitia, aut alterius finis humani gratia, ad superiorem immediate deferre, quòd si sensum disiunctum reddant, duplici ex principio prohibetur usus notitiæ, tum, si secretò communicata fuit, etiam absque ordine ad consilium, vel directionem, &c. tum, si cum tali ordine, absque conditione tamen vlla secreti, quod per se nihilominus seruare teneatur is, qui consulitur ex alio principio, reuerentia scilicet, vt ita dicam, negotij conscientia. Censeo tamen sensum esse copulatum, tum, quia coniunctio &c. communiter illum sensum reddit, tum quia citatus canon 10. §. 1. declarat amplissimam iuris renuntiationem, dicendo renunciare nos cuiusque iuri fame. Cum ergo in bonum spirituale anima conditus sit, eam solum notitiæ excipit, cuius usus spirituali bono aliquin obesset, cuiusmodi est usus notitiæ ex confessione, aut ex communicatione gratia consilij, & directionis; auerteretur siquidem homines a querendo animæ remedio, si talis usus concederetur. Admittit ergo regula usum notitiæ humano modo communicatæ, atque implicite irritam facit quamcunque promissionem, etiam iurata de non reuelando superiori cum id sit contra bonos mores, imò contra primum eius finem.

CAPVT VIII.

Præmittitur generalis doctrina denuntiationis, vt ostendatur quouque iuxta regulam Societatis locum habeat.

I.
Notatio 1.
quid sit denuntiationis
latissimè
sumpta.

VT altius explicemus iusticiam, & honestatem dictæ regulæ, eamque veræ doctrinæ de correctione accommodemus, nonnulla principia generalia præmittenda sunt, præsertim, quid denuntiationis sit, & quomodo fieri contingat: nam hoc necessarium est ad intelligendum quouque secreta moniti præcedere debeat denuntiationem; quam distinctionem tradidimus circa crimen hæresis in disp. 20. de fide sect. 4. à n. 2. Et in primis denuntiationis latissimè sumi potest pro manifestatione delicti facti Prælati, & sic comprehendit etiam accusationem, de qua hic nō agimus, sed in c. 12. ad finem nō nihil circa illam attingimus, quia certum est ad illam non prærequiri monitionem, nam per eam nō intenditur per se emendatio fratris, sed vel interesse proprium, & vt accusatori fiat satisfactio, vel publica etiam vindicta & punitio delicti, & in ea se gerit accusator, vt actor exigens à iudice punitiōem, & satisfactionem condignam rei, quam iudex reddere tenetur seruato iustitiæ ordine; ideoque accusatio in scriptis necessariò fieri debet, seu inscriptio debet ad illam præcedere, nisi in rebus leuissimis, iuxta legem leuissimæ de accusat. quæ omnia simul ad denuntiationem necessaria non sunt: proprius ergo sumpta denuntiatione, vt ab accusatione distinguitur, est legitima delatio, seu manifestatio delicti facti superiori, vt suo munere, vel prouidentia utatur ad aliquod damnum emendandum, vel impediendum. Quæ descriptio ex dicendis patebit, ne in eius declaratione immoremur. Addit verò Hostiensis in Summa lib. 5. tit. de denuntiationibus, esse delationem sine inscriptione; sed licet verum sit denuntiationem sæpe fieri legitimè sine scripto, tamē aliquando potest scripturam postulare, vt notauit Soto, & ideo non oportet hoc in generali descriptione ponere. Melius ergo facta aliqua diuisione, ratio denuntiationis declarabitur.

II.
Notatio 2.
quætriplex

Solet ergo multipliciter diuidi denuntiationis. Parnormit. in c. nouit. de iudiciis num. 33. quem sequitur Soto dicta Relect. membr. 2. q. 5. quatuor genera de Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

denuntiationis distinguitur, scilicet, iudicialis, Evangelica, canonica, & regularis. Adrianus verò in 4. materia de correctione fraterna q. ult. ad 1. omisso ultimo membro alia tria numerat. Innocentius autem in c. nouit, de iudiciis, distinguit quidem Evangelicam & canonicam denuntiationem, omittit autem iudicalem; & ponit aliam, quam dicit non esse actionem, nec denuntiationem propriam, sed præcedere actionem, vel denuntiationem, non autem declarat, quid sit, sed exempla eius dicit esse frequentia in iure, c. quapropter, cap. si quid. 2. q. 7. in quibus solum præcipit Pontifex, vt sibi manifestentur, quæ in Episcopis, vel aliis Prælati notata fuerint. & in c. fin. de accusationib. fit mentio similis denuntiationis, quæ solum videtur esse quædam simplex delatio ad aures Prælati, vt ipse inquirat, tamen si attentè considerentur citata iura, & similia, illa denuntiationis vel iudicialis est, vel ad eam reducitur, nam est inchoatio quædam, vel excitatio iudicis vt inquirat, & iudicet, quam admonitionem interdū facit Episcopus Principi, aut iudici seculari, vt in Authent. vt iudices sine quoquo suffragio fiant. §. si quis autem, & sequentibus. Denique Hostiensis in dict. tit. de denuntiationibus, duplicem tantum distinguit denuntiationem, scilicet Evangelicam, & iudicalem, quem sequitur D. Antoninus 3. p. tit. 9. c. 9. & in rigore videtur sufficiens diuisio si rectè explicetur.

Aduerto igitur tertio peccatum fratris esse posse, vel iam commissum, vel in periculo vt committatur, vel vtrunque simul, quia & commissum est, & est in periculo continuationis, vel iterationis. Denuntiationis igitur, de qua agimus, habet pro materia propria peccatum commissum, quia correctio non est de actu futuro, sed de iam commissio, vnde non dixit Christus, si quis peccaturus sit, sed, si peccauerit in te. Nihilominus tamen latius loquendo de denuntiatione, etiam peccatum futurum, vt est in periculo, vel occasione, denunciari potest Prælati, vt præueniat, vel impediatur, & hanc aliqui vocant canonicam denuntiationem, quia Evangelica non est id quod Christus de peccato commissio sit loquutus, vt nunc expendimus; veruntamen etiam hæc denuntiationis quatenus respicit bonum fratris, dici potest Evangelica, quia licet non formaliter, virtute tamen in verbis Christi continetur; tum quia in moralibus periculum quasi actus reputatur, tum maxime, quia eiusdem charitatis fraternæ actus est, & ad id præceptum pertinet, quod per se primò obligat ad subueniendum proximo spirituale necessitatem patienti, non solum autem necessitatem patitur, qui iam lapsus est, sed etiam qui in morali periculo cadendi versatur, ergo si moraliter indigeat superioris auxilio, vt vel à periculo tollatur, vel in periculo existens confortetur, opus eiusdem charitatis fraternæ erit, talem statim fratris Prælati reuelare. Dices, qui in tali periculo se constituit, eo ipso peccat: ergo iam lapsus est, nec differt hic actus à præcedenti. Respondetur primò quidquid sit de antecedenti, distinguui consideratione (vt sic dicam) præcisua, quia per se primò intenditur, ne peccatum futurum committatur, siue periculum sit cum peccato, siue nō. Vnde secundo dicitur sæpe posse esse sine peccato, vt cum quis graui tentatione vrgetur, vel alia similitudine. Quamuis ergo tunc nō habeat locum propria correctio fraterna: nihilominus locū habet delatio ad superiorem ex charitate fraterna: & ad hanc (vt statim n. 3. dicam) per se non est necessaria secreta monitio: & ideo in Societate rég. 20. ex communibus ita statutum est, qui grauem tentationem alicuius nouerit, superiorem admonere, vt ei ipse pro paterna in suos cura, ac prouidentia, conuenienti remedio possit occurrere. Talis ergo denuntiationis (si ita appelletur) & fraterna, & Evangelica dici potest; nec video cur canonica